



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

An laico licet legere scripturas sacras. tit. 150

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Esai. 64. dicit, quòd oculus non vidit, nec auris audiuit, &c. Roman. 8. Non sunt condignæ passionis &c. Hæc omnia enumerat Apostolus Roma. 8. Quomodo qui, prædestinavit, hos & vocavit, &c. Quintò, qui ergo nunc credit, confidere potest, quòd est de numero saluandorum & electorum. Qui verò non credit, iam iudicatus est, Ioan. 3. Causa ergo damnationis in nobis est, quia oblatam misericordiam contempnimus &c.

AN LAICO LICET LEGE.

re scripturas sacras.

TITVLVS CL.



Rimò, Propheta Malachias 2. cap. inquit Labia sacerdotis custodient scientiam, id est, addiscere & scire debent atque docere, & populus legem requiret ex ore eius, quoniam angelus, id est, nuntius Dei est. Hunc sacerdotum ordinem instituit Deus, ut prædicet, & ut audiat populus legem Dei ex ore eius non dicit, ipse populus legat, interpretetur, &c. Sic elegit Christus Apostolos, & misit illos prædicare verbum Dei, Luc. 9. & 1. Corinth. 3. inquit Apostolus: Dei enim nos sumus coadiutores, vos Dei agricultura & ædificatio estis. Nullibi dicit scriptura: Vos ipsi legite, prædicare vobis ipsis, &c. sed audire ex ore debetis sacerdotis seu plebani tui Euangelium.

Secundò, Gerson in tractatu de communionem laicorum sub vtraque specie: hoc fit, inquit, in scandalum grande & fraudem catholicæ veritatis: Hoc destruit maximè vnitatem, & causa est omnium errorum atque sectarum, quòd laici habent in suo vulgari sermone Biblia & literas sacras. Nam sic exorti sunt Begardi, Pauperes de Lugduno &c. & omnes hæretici in suum commodum & errori suo patrocinandum Biblia habent versa in Germanicum sermonem, quibus

in legendis rebelles fiunt Ecclesie catholice, & con-
 temnunt Ecclesiam & illius prelatos. Ideo tales Bi-
 blię vulgares essent tollende, non aut Historia & Le-
 genda, meditationes, orationes, &c. Multa enim sunt
 in scriptura & epistolis Pauli, vt Petrus ait 2. Pet. vlt.
 valde difficilia, quę indocti & instabiles deprauant;
 siue & ceteras scripturas ad suam ipsorum perditio-
 nem: quare ex ore sacerdotis audire debes verbū Dei,
 sacerdos autem sic interpretari debet verbum Dei,
 sicut illi per Ecclesiam catholicam traditur, ne cir-
 cūferamur omni vento doctrinę, &c.

Tertiō instant sectę: Atquē Christus inquit Ioann.
 Erunt omnes theodidacti, id est, docibiles seu docti à
 Deo. Verūm omnis qui nouit articulos fidei & sa-
 cramenta, edoctus est ab Ecclesia per spiritum sanctū.
 Et Paulus 1. Cor. 14. Si reuelatum fuerit sedenti, ta-
 ceat prior, id est, si Spiritus sanctus aliquem illumina-
 uerit, hunc audire debent ceteri. Sed Ecclesia prius
 examinare debet spiritum, an sit verus, 1. Ioann. 4. Si
 cuius diuersum docuerit & contrarium veteris Ec-
 clesie fidei atque sacramentis, nō est à spiritu sancto.
 Nam Spiritus sanctus diuisus nō est, nec seipsum cor-
 rigit, vt antea falsa, nunc vera doceat: & Christus di-
 cit Matt. 24. Surgent multi Pseudoprophetę, caute:
 docent, Ecce hic est Christus, aut illic &c.

Nemo igitur sibi ipsi credere debet: sectariorum
 talis est conscientia, vt eis perindē sit, siue legant ipsi,
 siue audiant verbum Dei ex ore sacerdotis.
 Ideo qui contemnunt sacerdotem, tanquā ipsi etiā
 legere possint, peccant contra Deum & Ecclesiam. Est
 enim scriptura quasi nouacula in manu pueri &c.

DE BELLO ECCLESIAE CA-
 tholicae cum hereticis circa scripturam.

TITVLVS CLI.

AAa

Notar.